



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PUNTARENENSIS** IN COSTARICA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS PUNTARENENSIS Sacrorum Antistites Conferentiae episcopalis Costaricensis maiori  
Christifidelium bono studentes consulere, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, quibusdam seiunctis territoriis a  
dioecesis Tilaranensi et Sancti Isidori, nova conderetur dioecesis ad aptius ibidem providendum pastoralibus  
necessitatibus. Nos quidem, habito faventi voto Venerabilis Fratris Hyacinthi Berloco, Archiepiscopi titulo Fidenatensis  
atque in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis enixis precibus libenter  
obsecundandum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, sequentia decernimus: separamus singulatim: a  
dioecesi Tilaranensi territorium pagorum nuncupatorum Puntarenas, Montes de Oro, Esparza et Garabito, a dioecesi  
autem Sancti Isidori territorium pagorum Parrita et Aguirre; atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim  
*Puntarenensem* appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicti pagi simul sumpti, prout in civili lege  
exstant, nunc terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Puntarenas » ponimus, ibique situm templum, Deo in  
honorem Sacratissimi Cordis Iesu dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus. Praeterea  
dioecesim Puntarenensem suffraganeam effcimus metropolitanae Sedi Sancti Iosephi in Costarica eiusque Episcopum  
metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica pro tempore subicimus. Cetera vero secundum canonicas  
leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus memorato Apostolico Nuntio vel, absente eo, illi, qui curat  
negotia Sanctae Sedes in Costarica, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad  
effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro  
Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique  
Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum  
Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo  
ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

BERNARDINUS card. GANTIN

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

*Apost*

---

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana